

*Hæremus : dic ipsa olim convenerat, inquit,  
 Ut faceres tu, quod velles, nec non ego possem  
 Indulgere mihi. Clames licet, & mare cælo  
 Confundas : homo sum. Nihil est audacius illis  
 Deprensus; iram atque animos à crimine sumunt.*

Denique ad Amphiboliam etiam referri debere videtur, cum integra oratio, seu enunciatio alium ex communi in aliquâ linguâ usu admittit ac vulgò habet sensum, quàm propriè sonant vocabula. Memorabile est exemplum, & cum præposterè vulgò intelligatur, allatu dignum, quod exstat 1 Reg. cap. 3. vers. 12; Ubi Deus Salomoni animum inteiligentem ad judicandum populum petenti respondit. *Ecce facio secundum sermonem tuum : ecce do tibi animum sapientem & intelligentem : adeò ut par non fuerit ante te, & post te non surrecturus sit par tibi.* Quæ posteriora verba propriè ferè accipit tota Theologorum cohors, & quæ ipsos cæcò impetu sequitur, plebs Ecclesiastica; quasi iis denotetur, Salomonem ad illud omnium rerum cognitionis ac sapientiæ culmen fuisse evedctum, ut ipsi

*Non similis fuerit, nedum supera verit ullus  
 Pectore sollerti, sive actò vixerit ævò,  
 Seu quondam existat venturis posterus annis :*

Cum idiotissimus, & modus loquendi sit Hebræis usitatissimus, quò nihil aliud, quàm excellentia, & præstantia significatur : adeoque sanctus Author eò locò tantùm voluerit exprimere, Deum Salomoni valdè eximiam, & planè non vulgarem sapientiam fuisse largitum. Atque hoc ita se habere ex duobus aliis ejusdem Scriptoris locis non obscurè elucescit. Unus est lib. 2 Reg. cap. 18. vers. 5: 6: & 7. Ubi de Hiskiâ dicitur : *In Jehovâ Deò Israëlîs fiduciam habuit, & non fuit ei similis inter omnes Reges Judæ, qui post eum, aut qui ante eum fuerunt. Adhæsit enim Jehovæ: non recessit ab eò sequendò, sed observavit præcepta ejus, quæ præceperat Jehova Mosi, &c.* Alter habetur ejusd. lib. cap. 23. vers. 25. & est de Josiâ hunc in modum. *Et similis ei non fuit ante ipsum rex, qui se converterat ad Jehovam ex totò corde suò, & ex totò animò suò, totisque viribus suis, omnino secundum legem Mosi: nec post eum extitit similis ei.* Quoniam enim de horum Judæ Regum utròque dicitur, ei alium nec pietate similem fuisse, nec fore Regem, erit Textus aut falsitatis arguendus, aut impropriè explicandus : Neque enim de utròque idem verum esse potest: Siquidem prior omnes, qui post ipsum, & posterior omnes, qui ante ipsum vixerunt, pietate antecelluit, etiam alter alterum antecelluisse necesse est, cujus contrarium tamen disertè asseritur. Hebræus igitur idiotissimus est, quò Author hos Reges pietate, & erga Deum reverentiâ excelluisse, indigitare voluit.